

accipienda, sed benigna interpretatione mō lienda. Neq; enim quidquam evidētius, quā vinculum conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam sola auctoritate humana inductum, eādem quoq; dissolvi; illudq; multis seculis non solius Romani Pontificis, sed & Synodorum Provincialium auctoritate fuisse dissolutum; atq; cessiones ac translationes Episcoporum eorum auctoritate fuisse factas.

XIX. Quid igitur voluit Pontifex, dum asserit, non tam constructione Canonica, quā institutione Divina soli sunt Romano Pontifici reservata; scilicet, Translatio, depositio & cessio Episcoporum? Ludovicus Thomassinus alique nonnulli credunt, Pontificem voluisse, translationem, depositionem & cessationem Episcoporum divina dispositione reservatam, quatenus scilicet Primatus jure divino à Christo collati Petro & eius Successoribus Romanis Pontificibus, appendix quædam est jus illud cognoscendi de causis majoribus; atq; Episcopos rationem habuisse hujus Primatus, cum causis majores, inter quas est translatio Episcoporum, ad Sedem Apostolicam referendas sanxerit. Ita Thomassinus part. 4. De discipl. Eccles. lib. 2. c. 56. n. 7.

Et quidem hanc suam fuisse mentem, innuat epist. 16. lib. 1. ad Capitulum S. Anastasie scribens: "Ex illo singulari, et excellenti privilegio, quod Unigenitus ille Filius JESU CHRISTI Apostolorum Principi Petro concessit, Sanctorum Patrum postmodum instituta manarunt, ut majores res cause ad Sedem Apostolicam perferrentur." Idem innuit epistola 48. ad Patriarcham Antiochenum, cujus fragmentum proposito subserviens legitur in Cap. 1. De Translat. Episcopi.

XX. Quidquid sit, illud certum est, juxta stabilitam jure Communi Decretaliam, & hodie per totam Ecclesiam receptam disciplinam, translationes Episcoporum, uti & cessiones soli Romano Pontifici esse reservatas; nec posse sine ejus expressa licentia Episcopum à vinculo quo suæ Ecclesiæ est alligatus, absolvi; ne quidem auctoritate Legati à latere sine speciali Sedis Apostolicæ indulto Cap. 3. De Officio Legati.

XXI. Ulterius cum translatio fieri nequeat, nisi Ecclesiæ à qua fit translatio vacet, & alteri de novo provideatur, hinc usu notorio receptum est, quod ubi Reges ad Episcopatus jus nominandi habent, nequaquam sine consensu Regis translatio fieri possit.

"Necesse est (inquit Rebuffus in praxi titulo de translatione Episcopi) Regem translationibus Episcoporum consentire, cum ejus interfit, tamquam Fundatoris; alioquin appellaretur ab abusu."

Imò nec solus Regis consensus seu approbatio sufficit, sed debet insuper in ipsa bulla provisionis fieri mentio nominationis Regiæ; quemadmodum solemniter attestat aliquando decisum esse refert Joannes Torneus in sua collectione Arretorum lib. R. c. 82. Et ita passim videmus, etiam in Belgio, ad nominationem Regiam Episcopos transferri.

XXII. Porrò licet nautata non nihil sit disciplina quoad ipsam translationis formam, semper tamen manit & manebit inconcussa Patrum Regula, quod non nisi necessitate aut utilitate cogente, translationes Episcoporum fieri possint; nec minus hodie, quā ætate SS. Patrum culpabiles sunt Episcopi, qui a vanitā aut ambitione ducti, de una Ecclesiā migrant ad aliam.

Unde in Dictata vulgò Gregorio VII. ad scripto Canone 13. dicitur: *Quod Papa liceat de Sede ad Sedem, NECESSITATE COGENTE, Episcopos transmutare.*

Et inter monita Cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII. hoc unum erat: "Translatio Episcoporum secundum Canones & usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem. Nec enim instituta sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesiā. Nunc autem quotidie fieri translationes videmus, ea solum de causa, ut Episcopi honore vel opibus augeantur."

De hac veritate non minus persuasus ipse Pontifex, quā ipse Bellarminus, respondit: *Nos cum difficultate transferimus, & non desumimus monere Principes per nos & per Nuntios nostros.*

## TITULUS XVI.

### De Cura Episcopali.

#### CAPUT I.

Quomodo Episcopi successerint in locum Apostolorum?

- 1 Christus in opere sibi inuncto socios habere voluit.
- 2 Ad hoc elegit specialiter duodecim Apostolos.
- 3 Hos misit, sicut ipse missus erat à Patre,
- 4 Dedit Apostolis etiam potestatem alios mittendi.
- 5 Apostoli in suos successores transferunt, quæ pro regimine Ecclesiæ essent necessaria.
- 6 Probatur Episcopos esse Apostolorum successores.
- 7 Quæ Apostolis ut Episcopis commissa fuerunt, in Episcopos transmissa sunt.
- 8 Nequaquam quæ Apostolis ut Apostolis erant propria; & quæ illa sint?
- 9 Episcopatus plenitudinem Sacerdotii continet; & in quo hæc plenitudo consistat?

**R**edemptor humani generis Christus Homo Deus, missus à Patre ut perficeret opus ejus; nimirum conversionem hominum ad fidem per prædicationem Evangelii socios habere voluit & ministros; quorum operâ ad ejusdem Evangelii prædicationem uteretur; & quibus idem opus committeret.

II. Ad hoc igitur ex numerosa Discipulorum turba duodecim elegit quos & Apostolos nominavit; quos familiaritate continua, verbis & factis optime instructos, deinde ad prædicationem Evangelii mitteret, tamquam testes oculatos vitæ, doctrinæ, & resurrectionis suæ: Et vos, ait illis, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

III. Hos igitur misit prædicare, & Evangelizare; atque post resurrectionem totum illud officium, quod ipse acceperat à Patre, perficiendum generali mandato commisit dicens: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. Ad idem nimirum opus perficiendum; quod quidem ipse Christus à Patre missus, tamquam præcipuus, propria auctoritate, propriaque doctrina hic existens in terris visibiliter exercuit, circumundo civitates & castella; ipsi verò tamquam ejus ministri, auctoritate delegata & doctrinâ eis tradita ac infusa & experimentaliter continuarent; & quod ipse acceperat, ipsi prosequerentur.

IV. Verum Christus, qui est ipsamet increata Sapientia, Ecclesiæ suæ, quam tamquam aciem castrorum ordinatam, Ducibus, Tribunis & Centurionibus bene instructam esse voluit, haud sat prospexisset, si solis eam Apostolis ita commendasset, ut illis extinctis, utpote mortalibus, nulli alii succederent in eodem gubernandi munere.

Verum

Verum quidem est, quod Christus tamen non amplius visibiliter cum hominibus conversetur, tamen Ecclesiæ sponsam suam non omnino deferat, sed Spiritu suo perpetuo præsens, eam ipsemet regat adhuc & gubernet, tamquam Caput & Dominus; cui promissum sit ad futurum usq; ad consummationem sæculi; nihilominus uti voluit ministris & operariis, qui ipsius nomine ea exhibeant ministeria, quæ opere peraguntur corporali, & visibili.

Hi primi fuere Apostoli ab ipsemet Christo, ut dixi, electi, & ad hoc munus assumpti; qui tamen, ut ipsi etiam possent aliquo modo esse perpetui in Ecclesiā, dedit, & eis potestatem, alios eligendi & assumendi ad idem opus, sicut ipse eos elegerat, & assumpserat. Dixit igitur illis: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos;* cum commissione & mandato generali; ut sicut ipse habuit à Patre mandatum generale docendi, instruendi & convertendi mundum ad cognitionem veri Dei, & Ministros ad hoc necessarios, necessariâ auctoritate instructos deputandi; ita & ipsi haberent idem officium & mandatum, cum eadem potestate Ministros eligendi simili auctoritate instructos; idq; continuatâ successione usque ad consummationem sæculi.

V. Apostoli ergo auctoritate à Christo sibi delegatâ, quidquid pro Ecclesiæ debitâ administratione necessarium erat, in Episcopos tamquam legitimos Successores transfuderunt.

VI. Hinc illud Psalmistæ, *Pro Patribus nati sunt tibi filii*, sic exponit Augustinus: "Patres missi sunt Apostoli, pro Apostoli filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt; ipsa Ecclesiā Patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es, de prole tuâ tibi crevit paternitas, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii." In Psalm. 44.

Sanctus Cyprianus ad Cornelium Papam scribit: "Hoc vel maxime, Frater, laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apostolos nobis Successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus. Epist. 42. Item Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos qui *Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: Qui vos audit, me audit.*" Epist. 69.

Apud nos Apostolorum locum, ait Hieronymus, Episcopi tenent.

Et S. Gregorius: "Horum profectio (Apostolorum) nunc in Ecclesiā Episcopi locum tenent, ligandi atq; solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis fortuntur." Homil. 26. in Evang.

His aliisq; Patribus inherens Synodus Tridentina declarat, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad Ordinem Hierarchicum præcipue pertinere. Sess. 23. De Ordine c. 4.

VII. In ipsam ergo Apostolicam auctoritatem succedunt Episcopi, ita nimirum, ut quidquid potestatis Episcopalis, id est, ad regimen Ecclesiæ spectantis Apostoli habuerunt, id ab ipsis in Episcopos, tamquam eorum in Ecclesiæ administratione & regimine Successores transfusum sit.

VIII. Ea verò, quæ Apostolis non ut Episcopis, sed ut Apostolis sunt propria; neq; debito Ecclesiæ regimini & administrationi sunt necessaria, nisi forte ad tempus, in Episcopos non transferunt; neq; in his Apostolis successerunt; ut propterea, non Apostoli, sed simpliciter Episcopi dicantur.

Verbo, succedunt Apostolis in regimine Ecclesiæ ministeriali potestate, nequaquam verò in hoc, ut sint testes vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis JESU CHRISTI Domini nostri, & sanè testes oculati; neque in eo, quod à Christo immediate eligantur, & ad evangelizandum mittantur; neq; in multis gratis & prærogativis; ut in copia Spiritus Sancti, in doctrinâ infallibilitate in plenitudine

scientia, in dono linguarum & miraculorum &c. In his enim Apostolorum proprietatibus nulla datur successio ordinaria in Ecclesiā: fuerunt enim dona & privilegia Apostolatus propriè dicti; in quem Episcopi non successerunt: Quidquid verò reliquæ potestatis ac officii habere Apostoli, id totum fuit Episcopales; & in Episcopos tamquam eorum Successores pro regimine suarum Diocesium plenariè transfusum est.

IX. Episcopatus ergo per se plenam regiminis Ecclesiæ potestatem, & ipsius Sacerdotii plenitudinem continet: adeo ut Episcopi, præveniēdo omnem Ecclesiæ restrictionem seu limitationem, eandem in regimine Ecclesiastico illimitatam, quam Apostoli habere, auctoritatem vi sua Ordinationis accipiant.

Hinc illud Clari à Matricula apud Augustinum Lib. 7. de Bap. contra Donatist. c. 43. "Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolos mittentes, & ipsis solis potestatem sibi à Patre datam permittentes, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiā Domini gubernantes."

#### CAPUT II.

Episcopi vocantur ad nudum Ecclesiæ ministerium & servitutem.

- 1 Ostenditur Apostolos ad laborandum vocatos fuisse.
- 2 Munus Apostolorum non nisi laboriosum fuisse.
- 3 Episcopi tamquam Apostolorum successores non nisi ad laborem vocantur.
- 4 Nomen ipsum Episcopi significat eos ad sollicitudinem & laborem esse vocatos.
- 5 Monitum Synodi Tridentina ad Episcopos.
- 6 Dicitur Doctoris Clichtovii contra illos qui onus Episcopale in Vicariis conjiciunt.



I eas Apostolorum prærogativas, quæ dona fuere temporis, potius quā personarum, ut loquitur Augustinus, exceperis, unice ad Ecclesiæ ministerium ac populi instructionem, & ipsius Ecclesiæ spiritualem ædificationem ministeriale vocati fuere, ut propterea Apostoli, seipos tamquam simplices Ministros & Operarios ad laborandum in vinea Domini, eamq; excolendam reputaverint; atq; eundem in finem ad idem ministerium sibi Successores ordinarint.

Ita Paulus vocat se *Ministram Evangelii & Ecclesiæ: Cujus ego Ecclesiæ, inquit factus sum Minister secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei.* Ad Colois. 1. Et alibi plantandi & rigandi officium sibi applicat; quod est, esse merè operarios in Vineâ Domini: *Dei enim adjutores, inquit, sumus. Dei Agricultura estis; omnia enim vestra sunt,* id est, in vestri gratiam, quasi diceret, omnia quæ agimus tamquam Dei Adjutores & Operarii in vestri gratiam & profectum spiritualem facimus.

Unde & ipse Christus dedit quosdam quidem Apostolos quosdam autem Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum IN OPUS MINISTERII, IN ÆDIFICATIONEM Corporis Christi. En opus Ministerii ad quod Apostoli & Pastores vocantur; nimirum ad ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesiā.

II. Rectè ergo Os verè aureum Sanctus Chrysostomus recensens munera Apostolorum, non nisi laboriosa, obsequiosa, ministerialia protulit: *Columnæ quidem, quoniam am virtute sua Ecclesiæ robur sunt. . . . Gubernatores, quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt; Pastores, quoniam lupos abegerunt, & Oves conservaverunt; Aratores, quoniam spinas eradicaerunt; Pime-*

sores

cores, quoniam labruscas eradicaverunt, & semina pietatis planta verunt. *Serm. De Pentecoste.*

Vocari ergo fuere Apostoli eorumque Successores ad ministerium; id est, ut Vineam Domini excolant; ejus Gregem custodiant & pascant, atque ad aeternam vitam pascua perducant.

III. Hec expendens S. Gregorius, in persona Joannis Episcopi primae Justinianae omnibus Episcopis scribit: "Erote in custodia commissi gregis vigilantes atque solliciti, & disciplinae zelo districti, ne Lupus insidians, nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione praevaleat. Animarum lucrum tota mentis intentione ferre festinate; nomen nos Pastoris, non ad quietem, sed ad laborem suscipite cognoscite. Exhibemus ergo in opere, quod signamur in nomine. Sacerdotii prerogativam si recta consideratione pensemus, sollicitis & bene gerentibus in honore, negligentibus autem proferendū erit in onere. Sicut igitur laborantes, & circa animarum salutem sollicitos hoc nomen ante Deum aeternam ducit ad gloriam; ita desides ac torpentes, urget ad poenam." Lib. 4. Epist. 8.

IV. Et S. Augustinus lib. 19. De civit. Dei c. 19. apud Gratianum 8. q. 1. Can. 11 ex ipso nomine Episcopi ostendit, Episcopum ad curam & laborem vocari; onusque Episcopale, non nisi cogente charitate esse suscipiendum. Verba ejus sunt: "Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Graecum est enim, atque inde dum vocabulum, quod ille, qui praeficitur, eis, quibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens: ὄνη quippe, super, ὄρονος verò intentio est. Ergo Episcopos, si velimus, Latine superintendentes possumus dicere: retut intelligat non se esse Episcopum, qui praesse dilexerit, non prodesse. Itaque à studio cognoscendae veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, eisi ita teneatur, atque administratur, ut decet, tamen non decenter appetitur. Quam obrem otium sanctum quatenus charitas veritatis negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipient de atque intuentem vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnimodò veritatis delectatio deferenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.

V. Itaque optandum esset, (verbis loquor Synodi Tridentinae Sess. 25. c. 1. De Reformat.) ut ii qui Episcopale Ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant! ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudinem pro Dei gloria vocatos esse intelligant.

VI. Videant ergo hi qui se Apostolorum Successores esse gloriantur, ne dum rejecto in alios pondere diei & ætatis, reservatis sibi honoribus & divitiis, in ipsis verificetur quod dictum refertur de similibus à Judoco Clitovio Doctore Sorbonico: Adibunt hujusmodi per VICARIOS par adisum, IN PERSONA inferos. Apud Eponaxum lib. 3. di gress. c. 2.

### CAPUT III.

Quisque Episcopus hodie habet distinctam Diocesim, extra quam jurisdictionem aut Pontificalia exercere nequit

1. Christus Apostolos non misit ad certam Ecclesiam, sed in universum mundum.
2. Ipsi certas orbis partes singuli delegerunt.
3. Apostoli certas Ecclesias fundabant, & his proprios Episcopos assignabant; idque cum potestate rursus alios ordinandi.

4. Tempore Apostolorum erant Episcopi quidam certa Ecclesia alligati, quidam nulli, inter quos tamen nullum erat essenziale discrimen.

5. Post tempora Apostolorum singulis Episcopis sua fuit assignata Ecclesia.

6. Episcopis interdicitur fuit quidquam in aliena Diocesi ordinare aut agere sine licentia Ordinarii.

7. Synodus Tridentina interdixit Episcopis exercere Pontificalia in alterius Diocesi sine licentia Ordinarii.

8. Quis ad mentem Concilii Tridentini dicatur Ordinarius.

9. Episcopus in loco simpliciter exempto suae Diocesis potest Pontificalia exercere.

10. Archiepiscopus in Diocesi sui Suffraganei Pontificalia ordinare exercere non potest.

11. Quid sub nomine Pontificalium contineatur?

12. Non potest Episcopus in aliena Diocesi Missam in Pontificalibus celebrare; nec solemnem benedictionem impertiri sine licentia Ordinarii.

13. Archiepiscopi vel Primates non possunt extra suam Diocesim accedere cruce elevata.

14. Actus voluntariae jurisdictionis usum Pontificalium non exigentes in aliena Diocesi expediti possunt.

I. Christus Dominus ascensus ad Patrem, & Ecclesiam suam visibiliter derelicturus dixit Apostolis: Euntes in mundum UNIVERSUM predicare Evangelium OMNI Creaturae. Deinde subdit Sacer: Textur: illi autem profecti, predicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Marci 16.

II. Nequaquam ergo Christus Apostolos suos ad certam ac limitatam orbis partem misit; sed in mundum universum, ut docerent omnes gentes, & predicarent ubique.

Verum cum singuli non possent ubique, predicare Evangelium, & actualiter operi Apostolico incumbere, sed tantum in ea orbis parte, in qua praesentes erant, initio quidem, ex communi mutuoque consensu, non tamen sine interna Spiritus Sancti inspiratione, quia pauci erant, ut tamquam testes oculati visa & doctrinae Christi ejusque Resurrectionis, Evangelium per universum mundum disseminarent, admodum latas & diffusas orbis partes, seu ut hodie loquimur, Dioceses singuli sortiti sunt: adeo ut etiam integra ac latissima Regna pro sua quisque Diocesi haberet; in qua actu quisque operaretur.

III. Adhuc quocumque, Apostoli perveniebant, non solum Evangelizabant atque populos docebant, & Ecclesias fundabant, sed etiam proprios Episcopos creabant, quibus Ecclesias noviter fundatas commendabant; ac insuper quo ipsi pertingerent non poterant, Discipulos in doctrina Christi rite instructos & ordinatos ablegabant; idque rursus ad amplas Dioceses; & cum potestate alios constituendi & ordinandi.

Exemplum habemus in Apostolo Paulo, qui Titum reliquit Cretae, ut ea, ait, quae desunt corrigas, & CONSTITUAS per civitates PRESBYTEROS, sicut & ego disposui tibi. Ad Titum 1. cujus prius opera confirmaverat alias quoque Ecclesias, Dalmaticam & Corinthiacam.

IV. Ut proinde dubitari nequeat, tempore quoque Apostolorum fuisse Episcopos, qui non secus quam Apostoli, indiscriminatim per Orbem & varias Regiones discurrerent, semina Evangelii mitterent; alios verò particularibus partibus orbis seu Ecclesiis adstrictos & destinatos quod tamen nullum inter illos essenziale discrimen constituebat.

V. Post mortem verò Apostolorum, cernens Ecclesia ex indiviso illo regimine non raro orti confusionem & perturbationem in Ecclesiae regimine, singulis Pastoribus (ut loquitur S. Cyprianus) portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet.

VI. Haecque disciplina confusioni tollendae adeo necessaria vita fuit, ut eam Ecclesia in hodiernam usque diem conservaverit, variisque Canonibus frequenter stabilie-

### Tit. XVI. De Cura Episcopali. Cap. III. & IV.

biliter; interdixeritque severè Episcopis, in aliena Diocesi quidem ordinare aut agere sine licentia Episcopi Diocesis illius.

"Episcopus (inquit Synodus Antiochena anno 341. Can. 22.) in aliam civitatem, quae ei subiecta non est, non ascendat, nec in Regionem, quae ad eum non pertinet, ad alium, cujus ordinationem nec Presbyterum nec Diaconum constituat in locis alii Episcopo subiectis, nisi cum voluntate proprii illius Regionis Episcopi; si quis autem tale quid ausus fuerit, infirma sit ordinatio, & ipse à Synodo puniatur."

Apud Gratianum 9. q. 1. can. 7. ubi plures antiquos Canones in eandem rem profert.

VII. His insistentibus novissimè Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 5. De reformat. ait: "Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinari ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi."

VIII. Ordinarius cujus Licentia hic desideratur dicitur, qui jurisdictionem & auctoritatem Episcopalem in loco obtinet, sive sit Episcopus, sive alius Praelatus non Episcopus; Episcopalem tamen jurisdictionem vel ex privilegio, aut Jure communi obtinens.

Unde Capitulum Sede vacante, aut ejus Vicarius exercitium Pontificalium Episcopo extraneo concedere potest.

Eodem ex capite eandem Licentiam impartiuntur Abbates alique Praelati non simpliciter exempti; sed nullius Diocesis, qui Episcopalem jurisdictionem ex privilegio, aut inveterata consuetudine exercent. Adeo quidem, ut nec vicinior Episcopus, aut is qui ad visitanda similia loca in Concilio Provinciali, juxta Decretum Concilii Trident. Sess. 24. cap. 9. De Reformat. electus est, Pontificalia sine hujusmodi Abbatis, aut Praelati Licentia exercere queat; uti notat Zypaeus Resp. 1. De Excess. Præb.

IX. In loco autem simpliciter exempto, quique manet illius Diocesis, intra cujus fines situs est, nullus Episcopus sine Licentia Ordinarii istius Diocesis Pontificalia exercere potest: ipse verò Episcopus Diocesanus in simili loco exempto, absque consensu Superioris illius loci, Pontificalia agere potest: idque ob reliquias jurisdictionis, quas Episcopus in loca quantumvis exempta suae Diocesis retinet. Quare dici non potest, hoc casu, Episcopum in aliena Diocesi Pontificalia exercere, Et ita judicatum fuit à Concilio Privato Regio pro Episcopo Audomarense contra Abbatem & Conventum S. Bertini in civitate Audomarensi 21. Augusti 1593. & rursus 25. Septembris ejusdem anni; referunt in Registro MS. Archiepiscopi Mechliniensis Cent. 2. a. 88.

X. Aliud est de Archiepiscopo quoad Dioceses suorum Suffraganeorum. Cum enim in his jurisdictionem ordinariam non obtineat, citra consensum Ordinarii in his exercere Pontificalia nequit, si casum visitationis excipias. Vide Zerolam in praxi V. Archiepiscopus: & Zypaeum in jure novo tit. De excess. Prælat. Num. 1. item Cardinalem De Luca Ad Concil. Trid. Disc. 6.

XI. Sub exercitio Pontificalium à Synodo Tridentina comprehenditur, non tantum Ordinum collatio, quamvis praecipue ad eam respiciant verba Decreti, sed & alia, quae aliquam jurisdictionem aut Episcopalem sive Pontificalem auctoritatem requirunt, & praesertim.

XII. Unde nec missam quidem in Pontificalibus citra licentiam Ordinarii celebrare posse plures docent; atque novissimè Cardinalis De Luca in annotationibus ad Concilium Tridentinum disc. 6. qui addit, nec Mozzeitam deferre, nec benedictionem imperari posse; quod ille Pontificalium ornamentorum publicus & sollemnis usus aliquam jurisdictionis speciem referat in utente. Et quidem dum Baculus Pastoralis Episcopo in ordinatione traditur, ex praescripto Pontificalis dicitur: Accipe Baculum PASTORALIS OFFICII, ut sis in corrigendis vitis pie sapiens &c.

Van Espen Jur. Eccl. P. 1.

Hinc evidens est, Baculum Pastoralis jurisdictionis, & superioritatis cujusdam esse signum; quod & de reliquis ornamentis Pontificalibus facile esset ostendere. Et haec Doctorum opinio conformis est modernis Belgii moribus qui nullum extraneum sine consensu Ordinarii in Diocesi Pontificalibus celebrare permittunt: quamvis citat Zypaeus in citato responso, non videri tamen ubique quoad poenam suspensionis ex sola celebratione esse certo usu receptum.


XIII. Eodem ex capite, judicatum legitur, nec Archiepiscopum, nec Primate posse extra suae jurisdictionis terminos, cruce elevata procedere: eò quod quodam illa soleminis delictio inelictum jurisdictionis praeferat: de quo consule Carolum Fevret, & ab eo citatos tract. De abusu S. 3. cap. 2. §. 12. & sequentibus.

XIV. Si autem agatur de actibus voluntariae jurisdictionis qui non exigunt usum Pontificalium; ut sunt provisiones beneficiorum, ac deputationes Officialium, vel delegationes causarum cum similibus, haec in aliena Diocesi expediti possunt; uti notat De Luca loco citato: qui addit, quod propterea prima Tonsura ab Episcopo proprio subdito in aliena Diocesi sine licentia Ordinarii conferri possit: quia etiam in camera sine Pontificalibus dari potest; & quia proprie Ordo non est, sed introductio ad Ordines.

### CAPUT IV.

Cura & regimen totius Diocesis primario & principaliter incumbit ipsi Episcopo.

1. Episcopus est primarius Pastor totius Diocesis, eique cura omnis populi incumbit.
2. Ob hanc curam Episcopatus habitus semper fuit proformidabili onere.
3. Ministri inferiores à cura sua Diocesis eum non eximunt.
4. Presbyteri omnes sunt in adjutorium Episcoporum.
5. Nec Presbyteri, nec quicumque Beneficari quidquam agere possunt in Cura animarum nisi cum subjectione ad Episcopum.
6. Nulla exempto quantumvis generalis eximere potest ab obedientia Episcopi in his qua concernunt curam animarum.
7. Quia Episcopo incumbit cura totius Diocesis, ideo ad eum de jure communi spectat collatio omnium Beneficiorum in sua Diocesi.
8. Nullus potest dare curam animarum, nisi Episcopus.
9. Illud etiam conforme est moribus Belgii

I.  Peccata disciplinae Ecclesiae à primis saeculis accepta, & haecenus conservata, Episcopi in ipsa Ordinatione deputantur singuli ad suam respectivè singularem Ecclesiam sive Diocesim, in qua actu quisque laboret, & ministerium suum impleat, juxta illud vulgare Sancti Cypriani: "Singulis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet."

Hujus igitur gregis cura Episcopo tamquam primario & principali Pastori incumbit; propterea Episcopus verbis Apostoli monendus duxit Synodus Tridentina Sess. 6. c. 1. De reformat. "Ut attendentes sibi & universi gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant."

Hinc Episcopum, illum esse dicit Canon 38. Apostolorum, "Cujus fidei populus est creditus, & à quo pro animabus ratio exigetur."

Et Canon 24. Antiochenus vult res Ecclesiae esse